

Epistola Odilonis abbatis Cluniacensis ad  
Heinricum imperatorem Augustum.

H[einrico] Augusto maximo divo, omni favore dignissimo, omnis catholicus homo, omnis ecclesiasticus ordo, omnium miserorum et pauperum multitudo solium regni, arcem imperii, gratiam Dei et gaudia celi.

Quoniam prelia domini Dei vestri contenditis preliari in prima tyrocinii vestri congressione, munite vos armis iusticię, induite vos vestimentis lęticie, non corrumpat vos amor pecunie, non deviet a vero acceptio persone. Videat vos superbus terribilem, sentiat humilis mitem, vobis veniente superbia resupinata iniquorum languescat, cupiditas superborum incurvata torpescat, innocentia pauperum afflicta convalescat. Gaudeat vos sibi advenisse Italicum regnum, tripudiet in adventu vestro Romanum imperium.

\*f. 139. Lętentur episcopi, divites et pauperes, clerici, abbates\* et monachi omnesque ecclesię filii. Non liceat maioribus minores opprimere, discant minores maioribus obedire. Vestro regimine vitia deleantur, vestro imperio virtutes oriantur, heresis symoniaca sit in porcorum stercore. Absit illicitus questus velut idolatrię cultus, omnis hereticus ut fumus evanescat. Iudeus infidelis confusus erubescat, sed in fide renatus vestri gratiam habeat. Signati sacro baptismo ita debent sub vestra defensione gaudere, ne habeant occasionem exorbitandi in fide. Si iterum suę olive cupiunt inseri, sua heriditate desiderant frui, non debent evelli, non debent exheredari. Nutriantur materna et catholica karitate, ut perseverent in fidei firmitate. Subdita vobis regna vestro tutamine polleant, vestra prudentia floreant. Vicinę [nationes<sup>a</sup>] aut se subdere vobis festinent aut preconiiis vestrę virtutis auditis tremefactę tabescant. Sclaus grunniat, Ungarus strideat, Grecus miretur et stupeat. Sarracenus turbetur et fugiat<sup>b</sup>. Punicus persolvat tributum, Hispanus requirat auxilium, Burgundio veneretur et diligat, Aquitanus lętabundus accurrat. Dicat omnis Gallia: 'Quis audivit talia'? Dicat Italicus populus levatis sursum manibus: 'Per quel deus, hic est cesaris unicus Octonis magni filius'. Dicant pauperum milia: 'Per ista mea anima hunc mater nostra et domina genuit Adalleyda'. Videte, ne fraudetur vestra dignissima promissione ille pater patrię, beatus videlicet Syrus, et gubernator Papię. Et, ut vestris ipsis veridicis verbis vos conveniam, dixistis, si dignamini recordari: 'Si Deus concesserit nobis redditum ad istas partes cum prosperitate,

a) Von mir ergänzt.

b) fugeat c; über dem e ist i corrigiert.